



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

XIV. Tertium argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

morte puniri iussit Moſes. An vero ſignificat Diſputator, ad confirmandam quinque poſtremorum Danielis capitum veritatem, quæ à Daniele vere ſcripta eſſe conſeſſus eſt, ſeptem priora ſuppoſita fuiſſe? At res plane diverſæ utrobique narrantur, nec ad confirmandam unam altera conducit quicquam. Aio præterea ea quoque ſeptem capita temere vocari in dubium. Si quid enim id perſuadere poteſt, maxime hæc duo, quod Chaldaice ſcripta ſint, cum reliqua ſermone Ebraico ſint explicata; item quod in iis de Daniele ἐπιτετραπολιτικῶς ſermo fiat, in reliquis αὐτοαποσώτως. At nos ſupra cauſſas conjectura videmur aſſecuti, unde factum, ut hæc partim Chaldaica, partim Ebraica loquela tradita ſint. Ad hæc primum Libri caput, & tres verſiculi priores capituli ſequentis, Ebraice concepta ſunt: unde ſequeretur eam quoque partem Danieli adjudicandam. Septimum vero, quod ἐπιτετραπολιτικὸν eſt initio, pergit tamen αὐτοαποσώτως Daniel, inquit, *ſomnium vidit: viſio autem capitis ejus in cubili ſuo*: hæc ἐπιτετραπολιτικῶς. Pergit: *Et ſomnium ſcribens, brevi ſermone comprehendit, ſummatimque perſtringens ait*: hic tamen ſe auctorem prodit. Tum addit: *Videbam in viſione mea nocte*: αὐτοαποσώτως de ſe loqui hic incipit, ac porro pergit. Cur itaque caput octavum ac ſequentia Danieli tribuat Diſputator, non ſeptimum, cauſſa nulla eſt. Quod ſi ei ſeptimum largiare, ubi partim ex ſua, partim ex aliena perſona diſſerit, cur non & reliqua, in quibus ex aliena? Diximus ſupra probabile eſſe Librum Chaldaice primum fuiſſe ſcriptum à Daniele, deinde & Ebraice à Judæis in patriam poſtliminio reverſis, in gratiam ſuæ gentis: hoc inſuper addo, res ſuas narrantem Danielem alienam induiſſe perſonam, vel ex gentilium ſuorum uſu, ac Moſis præcipue, qui cum geſtorum ſuorum memoriam poſteris proderet, ἐπιτετραπολιτικῶς locutus eſt; vel modestiæ & decori cauſſa, ne ſe virum captivum & extraneum apud victores Babylonios jaſtare videretur: Ebraeos vero in Judæam reduces & compotes libertatis, cum id opus lingua ſua referrent, Danielem partim ex ſua, partim ex alterius perſona indiſcriminatum diſſerentem pro arbitrio induxiſſe. At capite quarto, & fine tertii, Nabuchodonofor verbis ſuis ſomnium ſuum refert; quod conſulto à Daniele factum eſt, ut majorem auctoritatem haberet oratio, edictum integrum ne mutatis quidem verbis repræſentans. Si quis præterea nos urgeat auctoritate Joſephi, qui res à Daniele ſcriptis traditas recenſens, poſtquam ad octavum pervenit caput, gradum ſiſtit, quaſi ſequentia non agnoſcat, reſpondebimus non ſingulas ſacrorum Librorum partes explicandas ſuſcepit Joſephum, ſed aliquas tantum carptim pro libitu deliſſe. Notabile vero eſt, hæc ipſum fere Danielis attingiſſe capita, quorum γρηγοριανὰ Tractator Theologo-Politicus in dubium revocavit. Sed & ſe reliquorum auctoritatem ſequi oſtendit alibi, cum Templi deſolationem à Daniele prædictam eſſe ait, nono videlicet capite, atque item undecimo, & duodecimo.

XIV. Tertium ſuppeditat argumentum Thalmudiſtarum ſententia, qui capite primo Babæ bathræ, in Gemara, librum Danielis à viris Synagogæ magnæ elaboratum fuiſſe ſciſcunt. Hos alii aſſectantur Rabbin. Iſidorus à viris quibuſdam ſapientibus ſcriptum eſſe perhiberi ait. Hobbefius vero, an vaticiniorum ſuorum ſcriptor ipſe fuerit, ſciri non poſſe docet. Hac ratione nititur Thalmudiſtarum opinio, quod ſas non fuerit literis Prophetias tradere extra Terram Sanctam, proindeque Ezechielis & Danielis vaticinia à Synagogæ magnæ viris, poſt reditum, in libros fuiſſe relata. At ſi Daniel fuerit unus ex illius Synagogæ proceribus, ut vult Maimonides in Jad Chazakah, utique non videtur rerum ſibi viſarum, ſuæque ipſius Prophetiæ literis conſignandæ munus alteri conceſſiſſe. Sin ex illis non fuerit Daniel, uti ſtatuit Abrabaniel in Hæreditate patrum, (quod veriſimillimum eſt, cum anno tertio Cyri eſſet in Suſiana, in qua & ſepultus fertur; anno autem Cyri primo Judæi patriis ſediſibus ſint reſtituti) frivola etiam erit Thalmudiſtarum ratio, quippe cui refragatur ipſe Daniel, cum ait: *Daniel ſomnium vidit, & ſomnium ſcribens brevi ſermone comprehendit*: item: *Tu ergo viſionem ſigna*: tum: *Tu autem, Daniel, claude ſermones, & ſigna librum*. Præterea Jeremias vaticiniorum ſuorum partem literis prodidit in Ægypto. Falſum eſt ergo non licuiſſe extra Terræ ſanctæ fines Prophetias deſcribere: proindeque falſum quod inde cogitur, illam Danielis à Synagoga magna eſſe ſcriptam. Sed ut his careamus præſcriptionibus, hæc certe petitionem iſtam excipiemus, revera Synagogæ magnæ viros librum Danielis ſcripſiſſe, Ebraice nimirum, ut diximus, cum jam ante à Daniele Chaldaico ſermone fuiſſet exaratus. Verum quid iſtis immoror, cum idem argumentum jam ante reſellerim in diſputatione de Prophetia Ezechielis?

XV. Ex Habacuco diſcophoro, qui Danieli coævus ponitur, & vaticinia tamen edidiſſe Manaffis temporibus fertur in Seder Olam, & multis rationibus perſuaderi poteſt, quartum prodit argumentum. Nam ſi rationem ineamus temporum, annos vixerit circiter centum & quinquaginta, juxta Eusebianos ἐπιτομήματα: minimum ceterum

Deut. 18. 10, 11.

Joſeph. Antiq. libr. 12. cap. 11. Dan. 9. 2. & 12. 31. & 12. 31. Tertium argumentum. 16d. libr. 6. Orig. cap. 2. Hobb. Leviath. cap. 33.

Dan. 1. 7, 2.

Dan. 8. 26.

Quartum argumentum.